



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Pars trahens vehemnetior est, quam expellens. Cap. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

tidus, quasi lanugine pubescens, aut aculeorum aceruo stipatus videatur. Neque hoc admiratione carebit, ut si aliquis magnetem admoueat alium, vel appropinquet maioris magnitudinis, & virtutis, videbuntur illico conuerti, & amicas facies obiecto lapidi dirigere, & illi aspirare, & si minus id possint, quasi viribus defectas in terram procidere.

Pars trahens uehementior est, quam expellens.

C A P. XIII.

ALIVD præmonendum est, ut iactis dicendorum fundamentis, ad maiora progrediamur. Pars quæ trahit, feruentius trahit, & quæ expellit ignauius, scilicet, quæ aduersa: nam si australis lapidis pars alterius septentrionali adhæserit, longiori interuallo, ac ualentioris virtutis trahit, contra uer si aduersas partes conuertentes, australes scilicet meridianis, & boreas aquilonaribus, uernacula vis retunditur, & quasi ieiuna, & diluta hebescit, ut minus probe suo fungatur officio, & si propinquitatis modus absit, obsessa vis ferè nil operatur. Si quis rei periculum exoptabit, filo, uel æquilibrio, aut cymbis pensiles in attrahendo promptitudo, in expellendo fatua, & ignaua mollities comperietur.

Contraria lapidum partes sibi mutuo aduersantur.

C A P. XIV.

PARTES ipsæ, quas memorauimus, si amico consortio coniunctæ fuerint, tanquam sancito quodam inter eas foedere, sibi mutuo opem ferunt, efficaciorẽ longèque validiorẽ virtutem nanciscuntur, contra uerò si aduersantes fuerint, ita murua naturarum odia exercent, cæcisq; discordijs flagrant, ut admotæ ex inimico concursu, tanquam aduersario præsentẽ, à suis muneribus cessant, & viribus destituuntur. Ut si lapides manibus habeas, qui oppositas partes unitas habeant simul aquilonarem, & meridianam, ex alterius lapidis occurru, nullus erit utriusque lapidis motus, & honos: nam neque alliciunt, neque expellunt, præfertim si utriusque vires pares fuerint: at si alter altero